

CLASSICAL TRIPOS Part I

---

Friday 4 June 2004 9 to 12

---

Paper 3

PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

*Answer **all** the questions.*

*Use a separate booklet for **each** section.*

**The examiners will give equal weight to each Section.**

*Write your **number** (not your name) on the cover-sheet of **each** Section booklet.*

**It is important to write good English.**

**You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator**

## SECTION A

*Translate:*

**A1** *It's tough to write briefly on architecture, but needs must.*

non enim de architectura sic scribitur uti historia aut poemata. historiae per se tenent lectores: habent enim nouarum rerum uarias expectationes. poematorum uero carminum metra et pedes, ac uerborum elegans dispositio et sententiarum inter personas distinctas. uersuum pronuntiatio prolectando sensus legentium perducit sine offensa ad summam scriptorum terminationem. id autem in architecturae conscriptionibus non potest fieri. quod uocabula ex artis propria necessitate concepta inconsueto sermone obiciunt sensibus obscuritatem. cum ergo ea per se non sint aperta nec pateant eorum in consuetudine nomina, tum etiam praeceptorum late euagantes scripturae, si non contrahentur, et paucis et perlucidis sententiis explicentur, frequentia multitudinēque sermonis impediēte incertas legentium efficient cogitationes. itaque occultas nominationes commensusque e membris operum pronuntians, ut memoriae tradantur, breuiter exponam: sic enim expeditius ea recipere poterunt mentes, non minus cum animaduertissem distentam occupationibus ciuitatem publicis et priuatis negotiis, paucis iudicauī scribendum, uti angusto spatio uacuitatis ea legentes breuiter percipere possent.

VITRUVIUS V *Preface* 1–3

**A2** *The senator Thrasea is denounced as providing a rallying point against the emperor Nero.*

'ut quondam C. Caesarem' inquit 'et M. Catonem, ita nunc te, Nero, et Thraseam auida discordiarum ciuitas loquitur, et habet sectatores uel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum uultumque eius sectantur, rigidi et tristes, quo tibi lasciuiam exprobrent, huic uni incolumitas tua sine cura, artes sine honore, prospera principis respuit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? eiusdem animi est Poppaeam diuam non credere, cuius in acta diui Augusti et diui Iuli non iurare, spernit religiones, abrogat leges, diurna populi Romani per prouincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit, aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt, aut noua cupientibus auferatur dux et auctor, ista secta Tuberones et Fauonios, ueteri quoque rei publicae ingrata nomina, genuit, ut imperium euertant libertatem praeferunt: si peruerterint, libertatem ipsam adgredientur, frustra Cassium amouisti, si gliscere et uigere Brutorum aemulos passurus es, denique nihil ipse de Thrasea scripseris: disceptatorem senatum nobis relinque.'

TACITUS *Annals* XVI 22

## SECTION B

*Translate:*

- B1** *The poet wishes he could write like Lucretius, but is content to write the Georgics.*

me uero primum dulces ante omnia Musae,  
 quarum sacra fero ingenti percussus amore,  
 accipiant caelique uias et sidera monstrent,  
 defectus solis uarios lunaeque labores:  
 unde tremor terris, qua ui maria alta tumescant  
 obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,  
 quid tantum Oceano properent se tingere soles  
 hiberni, uel quae tardis mora noctibus obstet,  
 sin has ne possim naturae accedere partis  
 frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,  
 rura mihi et rigui placeant in uallibus amnes,  
 flumina amem siluasque inglorius, o ubi campi  
 Spercheosque et uirginibus bacchata Lacaenis  
 Taygeta! o qui me gelidis conuallibus Haemi  
 sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!  
 felix qui potuit rerum cognoscere causas  
 atque metus omnis et inexorabile fatum  
 subiecit pedibus strepitumque Acherontis auari:  
 fortunatus et ille deos qui nouit agrestis  
 Panaque Siluanumque senem Nymphasque sorores.

VIRGIL *Georgics* II 475-494

*obicibus:* obstructions, obstacles

[TURN OVER

B2

*'Cheer up, wife, I'm only off home to retire.'*

Quid mihi maesta die, sociis quid noctibus, uxor,  
 anxia peruigili ducis suspiria cura?  
 non metuo ne laesa fides aut pectore in isto  
 alter amor: nullis in te datur ire sagittis  
 (audiat infesto licet hoc Rhamnusia uultu),  
 non datur, etsi egomet patrio de litore raptus  
 quattuor emeritis per bella, per aequora lustris  
 errarem, tu mille procos intacta fugares,  
 non imperfectas commenta retexere telas  
 sed sine fraude palam, thalamosque armata negasses.  
 dic tamen, unde alia mihi fronte et nubila uultus?  
 anne quod Euboicos fessus remeare penates  
 arguor et patria senium componere terra?  
 cur hoc triste tibi? certe lasciua corde  
 nulla nec aut rabidi mulcent te proelia Circi  
 aut intrat sensus clamosi turba theatri,  
 sed probitas et opaca quies et sordida numquam  
 gaudia, quas autem comitem te rapto per undas?

STATIUS *Silvae* III 5 1-18

B3 **Either** (a)

Iam pauca aratro iugera regiae  
 moles relinquent, undique latius  
 extenta uiscentur Lucrino  
 stagna lacu, platanusque caelebs  
 euincet ulmos: tum uiolaria et  
 myrtus et omnis copia narium  
 spargent oliuetis odorem  
 fertilibus domino priori:  
 tum spissa ramis laurea feruidos  
 excludet ictus, non ita Romuli  
 praescriptum et intonsi Catonis  
 auspiciis ueterumque norma,  
 priuatus illis census erat breuis,  
 commune magnum: nulla decempedis  
 metata priuatis opacam  
 porticus excipiebat Aetion,  
 nec fortuitum spernere caespitem  
 leges sinebant, oppida publico  
 sumptu iubentes et deorum  
 templa nouo decorare saxo.

HORACE *Odes* II 15

Or (b)

'cur sola cadenti  
 haec placuit tellus, in quam Pharsalica fata  
 conferres poenasque tuas? iam crimen habemus  
 purgandum gladio, quod nobis sceptrum senatus  
 te suadente dedit, uotis tua fouimus arma.  
 hoc ferrum, quod fata iubent proferre, parauimus  
 non tibi, sed uicto: feriam tua uiscera, Magne,  
 malueram soceri: rapimur quo cuncta feruntur,  
 tene mihi dubitas an sit uiolare necesse,  
 cum liceat? quae te nostri fiducia regni  
 huc agit, infelix? populum non cernis inermem  
 aruaque uix refugio fodientem mollia Nilo?  
 metiri sua regna decet uiresque fateri.  
 tu, Ptolemaee, potes Magni fulcire ruinam,  
 sub qua Roma iacet? bustum cineresque mouere  
 Thessalicos audes bellumque in regna uocare?  
 ante aciem Emathiam nullis accessimus armis:  
 Pompei nunc castra placent, quae deserit orbis?  
 nunc uictoris opes et cognita fata lacessis?  
 aduersis non desse decet, sed laeta secutos:  
 nulla fides umquam miseros elegit amicos.'

LUCAN VIII 515-35

Or (c)

tunc putas illam pro te disponere crines  
 aut tenues denso pectere dente comas?  
 istane persuadet facies, auroque lacertos  
 uinciat et Tyrio prodeat apta sinu?  
 non tibi sed iuueni cuidam uult bella uideri,  
 deuoueat pro quo remque domumque tuam,  
 nec facit hoc uitio, sed corpora foeda podagra  
 et senis amplexus culta puella fugit,  
 huic tamen accubuit noster puer: hunc ego credam  
 cum trucibus uenerem iungere posse feris,  
 blanditiasne meas aliis tu uendere es ausus,  
 tunc aliis demens oscula ferre mea?  
 tum flebis, cum me uinctum puer alter habebit  
 et geret in regno regna superba tuo,  
 et tua tum me poena iuuet, Venerique merenti  
 fixa notet casus aurea palma meos:

HANC TIBI FALLACI RESOLVTVS AMORE TIBVLLVS  
 DEDICAT ET GRATA SIS, DEA, MENTE ROGAT.

TIBULLVS I 9 63-84